



The Holy See

BENEDICTVS XVI

***EPISTULA FRANCISCO S.R.E.
CARDINALI ARINZE DATA,
CONGREGATIONIS DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM PRAEFECTO***

*Venerabili Fratri Nostro
FRANCISCO S.R.E. CARDINALI ARINZE
Congregationis de Cultu Divino
et Disciplina Sacramentorum Praefecto*

Quemadmodum quondam “tres magos, de longinquitate suae regionis excitos, ad cognoscendum et adorandum Regem caeli et terrae stella perduxit” (S. Leo Magnus, *Sermo* 3,5), ita et nos aedemus oportet Christum Dominum in Eucharistiae sacramento praesentem viva fide cognoscendum et adorandum una cum fratribus nobis creditis.

Laetanti quidem animo novimus sacros Tzadiae Praesules, simul cum fidelibus, tres post annos accuratae praeparationis per eucharisticos congressus locales singulis in paroeciis et dioecesis, proximo ineunte anno I Congressum Eucharisticum Nationalem esse celebraturos. Quia vero iuvenis catholica communitas istius Nationis superioribus L annis uberius crescit et prosperat, arbitramur huiusmodi eventum fidem populi potissimum roborare posse, qua de re hoc salutare propositum Nos laudare cupimus et confirmare.

Quo autem catholica haec communitas universali cum Ecclesia et beati Petri Successore unitatis vinculum magis persentiat Nostramque experiatur sollicitudinem et caritatem, libenter petitioni concedimus Nobis allatae, nempe ut Patrem Purpuratum illuc mittamus, qui Nostram his diebus gerat personam. Ad te autem mentem Nostram vertimus, Venerabilis Frater Noster, qui nunc praees Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum quique iam multos per annos dignum et fidelem te praebes Apostolicae Sedis ministrum in variis magni ponderis officiis et

legationibus.

Quam ob rem fidenter te Nostrum Missum Extraordinarium constituimus ad Primum Congressum Eucharisticum Nationalem Tzadiae diebus IV-VIII proximi mensis Ianuarii in urbe Munduensi celebrandum. Hac data occasione, praesertim die sollemnitatis Baptismatis Domini, una cum sacris Pastoribus omnibusque christianis fervidas reddes gratias – quod voce “Eucharistia” significatur – pro sublimi dono baptismatis quo Christi mortis, resurrectionis et vitae participes efficimur (cfr *Rom* 6,4; *Col* 2,12), atque, hac in terra peregrinantes, Ipso, eucharistico Pane, copiose enutrimur. Hortaberis quoque christifideles, qui per baptismum receperunt fidem, ut proposito cordis permaneant in Domino (cfr *Act* 11,23) et Christi testes effecti fratribus subveniant animi corporisque in necessitatibus.

Quo hic eventus in spiritale totius populi bonum magis proficiat eiusque corroboret fidem, maturioresque simul edat caritatis fructus, legationem tuam Nostris comitabimur precibus. Salutationem denique Nostram omnibus illic transmittendam curabis necnon Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae pignus et propensae Nostrae voluntatis testem, Nostro nomine huius Congressus Eucharistici participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Decembris, anno MMV, Pontificatus Nostris primo.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana